

Band X., Nr. 4687, Seite 360-361

*Elisabeth von Fürstenberg, Gemahlin Pfalzgraf Gottfrieds von Tübingen,
verkauft an den Spital Esslingen das ihr als Morgengabe überwiesene Dorf
Möhringen.*

Konstanz, 1295. Juni 3.

Elizabeth nobilis viri quondam Hainrici comitis de Vurstenberch filia illustris domini Gotfridi comitis palatini de Thuwingen uxor legitima Constantiensis dyocesis presentium litterarum inspectoribus universis rei notitiam subnotate. Veritas non querit angulos nec opera sua ponit sub modio sed potius in candelabro¹ tam vivi testimonii quam etiam lucentium scripturarum. Hiis itaque scriptis pro sufficienti testimonio datis lucide recognoscimus et per confessionem tamquam in iure factam notorium facimus omni populo Christiano, quod, cum prefatus Gotfridus nostri thori consors legitimus omnia bona et omnes bonorum attinentias apud Blieningen sibi quocumque titulo pertinentes nobis donatione propter nuptias contulisset et cum idem noster consors predicta bona propter urgentem necessitatem nobis communiter imminentem religioso monasterio de Bebenhusen Cisterciensis ordinis predictae dyocesis de nostro consensu pro certa pecunie summa nobis data mediante contractu honesto licito et legitimo vendidisset cumque memoratus consors omnia bona sua in Moringen cum universis iuribus et pertinentiis eorundem nobis in predictae dotis sufficientem dederit reconpensam revera parti nostre utilem et acceptam, predictis bonis de Blieningen non coacta renuntiavimus nec seducta et in eandem reconpensationem dotis seu donationis propter nuptias libera consensimus voluntate. Sed quia supradictus noster consors dominium seu titulum sue nativitatis scilicet opidum Thuwingen a manibus suorum patruelium pro copioso pretio comparavit, nos intuitu tanti domini nobis et nostris liberis aquisiti predictam villam Moringen cum omnibus eiusdem ville curiis mansibus fundis areis domibus horreis ortis agris pratis pascuis plantis silvis aquis aquarum usibus decimis viis inviis cum hominibus et cum omni earundem possessionum onere dominio vero et utili cum tota universitate ipsarum possessionum seu pertinentiis quibuscumque quin immo cum omnibus iuribus et iurisdictionibus prefatarum rerum corporalibus et incorporalibus quocumque nomine censeantur et nichilominus cum illis iuribus quibus nomen positum non existit hospitali languentium in Ezzelingen dyocesis memorate pro quingentis et viginti libris denariorum bonorum Hallensis

¹Matth. 5, 15.

II

monete nobis integraliter assignatis et conversis in dominium prenotatum vendidimus per manum nostri prefati consortis coherci[ti]one aliqua nullatenus accedente. Quoniam quidem suprascriptus noster consors villas dictas Gâchingen et Schonnaich cum earundem villarum iuribus iurisdictionibus et pertinentiis universis in reconpensate dotis permutationem nobis dederat bono zelo, renuntiavimus libera voluntate et presenti serie litterarum renuntiamus cunctis venditis prenotatis, eo quod ex premissa permutatione condicio nostre dotis seu donationis propter nuptias sine dubio melior et utilior est effecta. Quamobrem adhibuimus omnibus clausulis prenotatis verborum et gestuum sollempnitatem debitam et consuetam et per consequens non indigne renuntiamus in genere ac in specie iuri recuperande dotis seu donationis propter nuptias, renuntiamus etiam exceptioni sollempnitatis si qua reperitur in proposito pretermissa, deceptionis ultra dimidiam partem iusti pretii doli malitie pacti conventi, actioni in factum gratie habite vel habende et generaliter omni exceptioni seu defensionem, quibus mediantibus de iure facto vel consuetudine quicquam posset in contrarium coram quocumque iudice vel extra iudicium quomodolibet attemptari. In quorum omnium evidentiam presens instrumentum sigillo reverendi patris ac domini . . dei gratia Constantiensis episcopi loci ordinarii, ad cuius examen dotis defensio dinoscitur pertinere, nec non sigillis Friderici et Egenonis fratrum nostrorum de Vurs-tenberch, Ūlrici de Berge dicti de Schalkelingen, sepedicti nostri consortis comitum et universitatis populi de Ezzelingen effecimus communiri et eorum testimoniis roborari. Ceterum nos episcopus et comites prenarrati per hanc subscriptionem et per appensionem nostrorum sigillorum huic instrumento factam contractus predictos in lucem cum antedicta comitissa deducimus utpote licitos et honestos.

 Actum Bebelingen, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, idus Maii, scriptum Ezzelingen anno predicto, XII. kalendas Junii, datum et sigillatum Constantie eodem anno, III. nonas Junii, indictione VIII.

—

Textabdruck folg dem Original.

 Siegel, 1) des Bischofs, s. WUB, Bd. X, S. 166, Nr. 4417. 2) abgegangen. 3) rund, 30 mm., im vohbesetzen Schild der rechtsblickende Reichsadler; Umschrift: + . S . EGENOIS . COMITIS . DE . FVRSTENBERC. 4) Graf Ulrichs von Berg, s. WUB, Bd. VI, S. 400, Nr. 2007. 5) Pfalzgraf Gottfrieds, s. WUB, Bd. VIII, S. 226, Nr. 2970. 6) der Stadt Esslingen, s. WUB, Bd. V, S. 189, Nr. 1424.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 169 U 42

Editionen:

Schmid: Pfalzgrafen von Tübingen, Urkundenbuch, S. 104, Nr. 96 (Auszug).

Regesten:

PAUL LADEWIG (HRSG.): Regesta episcoporum Constantiensium: Regesten zur Geschichte der Bischöfe von Constanz von Bubulcus bis Thomas Berlower 517-1496, hrsg. Von der Badischen Kommission, 5 Bde., Innsbruck 1895-1941, 2941^a (unter Juni 5). ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 114, Nr. 270^b. IMMO EBERL: Regesten zur Geschichte der Grafen von Berg. In: Ulm und Oberschwaben 45/46 (1990) S. 9-102, S. 43, Nr. 202.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Konstanz

Ortsindex:

Bebenhausen Wohnplatz (16199)
 Bebenhausen, Tübingen, TŪ
 Berg Wohnplatz (16762)
 Berg, Ehingen (Donau), UL
 Böblingen Wohnplatz (84)
 Böblingen, BB
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Fürstenberg Wohnplatz (13207)
 Fürstenberg, Hüfingen, VS
 Gächingen Wohnplatz (16092)
 Gächingen, St. Johann, RT
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Möhringen Wohnplatz (34)
 Möhringen, Stuttgart, S
 Plieningen Wohnplatz (41)
 Plieningen, Stuttgart, S
 Schelklingen Wohnplatz (16943)
 Schelklingen, UL
 Schönaich Wohnplatz (204)
 Schönaich, BB
 Tübingen Wohnplatz (16214)
 Tübingen, TŪ